





*Not. Scriptur. n. 10*  
*1704, 3*  
*596*  
*8*  
DISPUTATIO JURIDICA,  
*Quam*  
In Alma, CHRISTIAN-ALBERTINA,  
*Juxta ordinem*  
In Principali FRIDERICIANA  
*Constitutione praescriptum,*  
DE

# FEUDORVM

*Origine & Libris,*

*Imprimis de*

CODICE MERICUTIANO,

*Sub Praesidio*

SAMUELIS REYHERI, JC.

*Codicis & Mathem. Prof. Ordin.*

*publicè defendet*

PETRUS MUMMENS,

*Eidorostad. Juris Stud.*

*die Novembr. c. 1700.*

*In Auditorio Majori.*

---

K I L I Æ,

*Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.*

1.5 A 16.

*Reddantur Hannibali Merswein*

*finis In potentia Trinitatis*

*Mga J. müller de Rasteln.*

1880



*Un nihil tam studiosum in omnibus*

PRÆFATIO.

**F**eudalis Juris notitiam non tantum jucundam, sed hodie imprimis in Imperio Romano-Germanico admodum utilē, imò necessariam esse, nemo facile inficias ibit. Obiter notari poterit *Feudum & Beneficium* promiscuè sumi, unde, cum aliquando Papa Hadrianus in literis ad Imperatorem Fridericum Barbarossam scribere non erubesceret; se Imperatori insignia Imperialis coronæ dedisse, nec ipsum poenitere, si majora beneficia de manu ejus suscepisset: Optimatibus regni hoc maximè displicuit. Cumque unus ex Papæ Legatis dixisset: A quo ergo habet, si a Domino Papa non habet Imperium? Otto Palatinus Comes de Bajoaria, prope exserto gladio cervici ejus mortem intentasset, nisi Fridericus, auctoritate præsentia suæ interpositâ, tumultum compescuisset. *Radevicus Canonicus Frisingensis de rebus gestis Friderici I. Imperat. c. 9. & 10.* Non immeritò, itaque nunc de Feudorum Origine ac de præcipuis illorum libris, & Codicibus aliquid in medium proferre constituimus, ac propterea nostram disputationem commodè sex capitibus concludi posse putamus; Quorum *I.* de variis Auctorum circa Feudorū originem opinionibus *II.* de nostra sententia. *III.* de Auctoribus, & libris Feudorum antiquioribus. *IV.* de Recentioribus, & præcipuè de Antonii de Prato Veteri nova collectione Bononiensī. *V.* de quorundam Dd. testimoniis & judiciis utilitatem hujus collectionis concernentibus. *VI.* De aliis nonnullis Auctoribus.

A 2

CAP.



## CAP. PRIMUM.

De Variis Auctorum circa Feudorum Originem opinionibus.

- 10 A prima hominū creatione Feuda derivat *Marinus Freccia* Patritius Neapolitanus in Commentariis suis Feudalibus *lib. 1. c. 1. §. 83.* Ubi hæc habet:
- 11 Nos autem *Christicolæ*, qui vitam terimus in seculo, ab omnium Creatore, atque mundi opifice, DEO O. M. universam terram conditam profitemur, ipsam nobis fruendam & dominandam tradidit, sub hac feudali investitura, ut ipsum mente pura cum corde veneremur ac coleremus, *Christique Jesu Mariae filii ac ipsius unigeniti nobiscum pactum est, providentia &*
- 12 *investitura, servata ejus filii ac lege Evangelica, æterni & perpetui regni fruenda gloria, quam nobis in baptisate vero sub certo pignore assignavit, & ad hanc omnes sub ejus benedictione & gratia aspiremus.*
- 13 Alii ante tempora *Abrahami* in usu fuisse contentunt. *Niellius* enim ex *c. 14. Genes. vers. 4.* citante *Struv. in Syntagm. § Feud. cap. 1. Aphor. 3.* putat, Reges *Sodomæ & Gomorræ, Adamæ, Seboim & Belæ* fuisse
- 15 se *Vasallos Regis Kedor Laomor. Udalr. Zafius* à vestitis Romanorum moribus: *Sonsbekius* à novissimis Romanis: *Duarenius* ex jure Longobardorum orta esse Feuda putant. *Haloander* in Authenticis
- 18 *Justiniani, militias, quarum sæpè in Codice & Novellis mentio fit, feuda esse putat. Quam de feudis opinionem*
- 19 *Nicolaus Vigelius, quoque in capite. 1. Methodi*

*Jur. Feud.* amplectitur. Alii à legibus Longobar- 20  
 dorum, aut etiam à Germanis antiquis introdu-  
 cta fuisse Feuda credunt cum *Ludovico Molina.* 21  
 Alii à Clientelis vel à prædiis, quæ capta ab ho-  
 stibus ex parte veteranis assignabantur, seu ab agris  
 limitaneis, & qui militibus limitaneis dabantur,  
 quod genus agrorum Alexandrum Severum mili-  
 tibus donasse, scripsit *Lampridius*: ita, ut eorum es-  
 sent, si heredes eorum militarent, nec unquam ad pri-  
 vatos pertinerent. *Antonius Dadinus Alteserra. de Orig.* 22  
*Feud. Cap. I.* Primam, & quidem expressam feudorum  
 mentionem se observasse & notasse prætendit *Ericus*  
*Mauritius ex historia* Francorum, quam descripsit *Ai-*  
*monius l. 1. Annal. c. 13.* ubi scribit; Clodovæum Au-  
 reliano castrum Milodunum cum regionis Ducatu  
 jure beneficii concessisse. Cum tamen ante lauda- 23  
 tur *Alteserra loco citato* expresse dicat, hoc jure Au-  
 reliano duci Milodunensem pagum beneficii nomi-  
 ne datum à Clodovæo. Et sic Feudorum Origini- 24  
 nem è moribus Francorum repetit: Franci scilicet  
 rerum potiti in Gallia prædia divisere ducibus ac  
 militibus, idque beneficiario jure, sub lege fidei &  
 servitii, prius quam Longobardi Italiam attigissent.  
*Alteserra dict. loc.*

## CAP. SECUNDUM:

*De nostra circa originem Feudorum sententia.*

Quamvis autem populos Septentrionales per 25  
 Germaniam in Galliam, Italiam & Hispani-

A 3

am

am irrupentes, feuda in Europam stabiliſſe mi-  
 nimè diffiteamur, in ASIA tamen longe ante illa  
 tempora ejusmodi beneficia in uſu fuiſſe arbitra-  
 26 mur: non quidem cum *Ludovico Molina*, qui fre-  
 quentia apud Japonenſes fuiſſe, & eſſe feuda ſtatuit,  
 ſed potius cum *Marco Antonio de Dominis lib. 9. de*  
*Republ. Eccleſiaſt. c. 2. n. 4.* putamus, terram Can-  
 naan à Domino poſteris Jacobi, tanquam Feudum,  
 27 & in illo dominium ſaltem utile, non directum  
 conſeſſum fuiſſe. Sicut enim beneficia ex libera-  
 litate 1. *Feud. tit. 2. §. 2, 4.* dominorum Vaſalli poſ-  
 ſident; ita etiam Iſraëlitis DEUS terram Cananæo-  
 rum, cujus ipſe ſolus erat dominus, *Levit. 25. v. 23.*  
 ex mera gratia conſeſſit, ſub certis conditionibus,  
 28 *Deuteron: 9. vers. 4, 6.* Sicuti etiam Vaſalli jureju-  
 rando promittunt fidelitatem 2. *F. tit. 11.* ita quo-  
 que Iſraëlitæ multis legibus ad fidelitatem ad-  
 ſtricti fuerunt. *Deuter 6. v. 4, 12.* Vaſallis regulariter  
 tantum uſus fructus prædii Feudalis conceditur,  
 proprietate penes dantem remanente. 2. *F. 24. §.*  
*ult.* Iſraëlitis quoque ſolus uſusfructus in prædiis  
 29 ruſticis conſeſſus erat. Hinc ſolum uſumfructum  
*Levit. 25. v. 15, 16, 17.* ad determinatum annorum  
 numerum invicem vendere poterant, quia DEUS  
 30 ipſorum erat Dominus. *d. c. vers. 23.* Vaſalli ſuis  
 ſumtibus & damno ſervire tenebantur 2. *F. 40. §. Si-*  
*milit. tit. 54, & titulo 55. §. Firmiter,* ubi ju-  
 31 bentur Vaſalli dimidium redditus Feudi unius anni  
 ſubminiſtrare; nec obſtat *tit. 107,* ubi dicitur: fi-  
 deles,



deles, nisi aliud contractibus pactioes insertæ  
 desiderent, dominos sumtibus iisdem servitia  
 ministrare. Ita Israëlitarum primigenii, & po-  
 stea compensatione factâ, tota tribus Levitica ad  
 servitia DEI adstricta erat: ita tamen, ut cætera tri-  
 bus, solutis proventuum suorum primitiis ac deci-  
 mis, necessaria Levitis ac sacerdotibus præstarent a-  
 limenta, *Num. 18. v. 8. & 12. Deut. 14. v. 22. & seqq.*  
 Vasalli feuda non, nisi consensu domini impetrato, 33  
 alienare possunt 2. *F. 9.* Israëlità ne quidem consen-  
 sum impetrare poterant, quia perpetuâ lege ipsis a-  
 lienatio interdicta erat, uti patet ex *Levit. c. 25.*  
*vers. 15, 16, & 17. & Levit. c. 27. vers. 17, & 18.*  
 Quemadmodum etiam Vasalli vestiebantur vel in- 34  
 vestiebantur, dum hasta vel aliud corporeum a  
 domino Feudi, investituram faciente, porrigebatur:  
 2. *F. dit. 2.* ita etiam sacerdotes & Levitæ, utpote  
 qui nomine Vasallorum, nempe totius populi Isra- 35  
 élitici servitia præstabant, jussu DEI investiebantur  
*Exod. 29. & Num. 20. v. 16, 18.*

### CAPUT TERTIUM.

*De auctoribus librorum Feudorum antiquioribus.*

**A**Ntiquissimi libri Feudorum, quibus hodie uti- 36  
 mur, in corpore Juris post Novellas Authentica-  
 cas reperiuntur; & quia Novellæ in IX. Collationes 37  
 dividuntur., propterea Feudorum libri decima Col-  
 la-

- 38 latio à nonnullis nuncupantur. Communiter dividuntur in duos libros : *Cujacius* vero, & alii Jcti, in quinque dividunt libros, quorum tertius incipit in tit. 23. Liber. 4tus vero incipit a tit. 25. J & desinit in tit. 58. Huic libro *Cujacius* ex *Ardizone* & *Alvarotto* addidit titulos quinquaginta & unum. Hunc
- 39  
30  
41 postea sequitur liber quintus, a *Cujacio* ex variis Imperatorum Feudalibus Constitutionibus compositus.
- 42 Cæterum aliqui dictorum Feudorum auctores putant esse *Obertum* de orto, & *Gerhardum Capagistum*, qui jura Feudalia collegisse dicuntur 2. *F. l. 23. & 25.* Alii tamen rectius putant ab incerto auctore sapientum Responsa, Consuetudines
- 43 Longobardicas & Constitutiones Imperatorias collectas esse. vid. *Mauritii Dissert. 1. Jur. Feudal. contro.* nec non *Pauli Franc. Romani Exercitat. 1. de Feud. cap. 1. §. 2.* ut & *Dn. Schilteri Cod. Jur. Alem. Feudal.*
- 44 Altero loco esse potest Codex Juris Feudalis Allemannici, prout in Comitibus Noricis anno 1204. auctoritate Imperiali publicatus, in foro feudali tritus, anno 1505. Argentorati primum typis impressus, ac 1696. cum Commentario *Dn. Schilteri* Argentorati recusatus. Tertius Codex fermè ejusdem ætatis continet Jus Feudale Saxonicum, ab *Epkowe des Repkaw*, Equite Saxonico, sub Imperatoribus Saxonis, nempe Henrico Aucupe, Ottone M. &c. compilatum, & a *Christophoro Zobel* primum Lipsiæ, deinde a *Dn. Schiltero* Argentorati 1695. editus.

## CAPUT QUARTUM.

*De Antonii Mericutii, seu Mincuccii de Prato veteri, Nova Collectione Bononiensi.*

Illorum, qui Jus Feudale in meliorem ordinem 46  
 redigere conati sunt, celeberrimus est *Antonius de Prato veteri*, qui primam suam editionem in *sex libros & 25. titulos* divisam *Sigismundo* Imperatori dedicavit, & cognomen *Mincuccii* assumpsit; Postea priorem Editionem duobus titulis auxit, ac *Fridrico III.* Imperatori ad confirmandam obtulit, & cognomen *Mericutii* adoptavit: *Tituli* autem *Libri I.* sunt 1. de Feudis, & qui Feudum dare possunt, & de Clericis, & eorū successoribus. 2. *Tit.* de Laicis Investitoribus & eorum heredibus. *Libri II. Tit.* 49  
 3. de modis, quibus Feudum quæri potest. *Tit.* 4. per quos fiat investitura, & per quos recipiatur. *Tit.* 5. qualiter fiat investitura. *Tit.* 6. de juramento & forma fidelitatis, & ad quid Vasallus domino teneatur. *Tit.* 7. quemadmodum Feudum successione quæritur, & de successione descendantium. *Tit.* 8. de successione transversalium & gradibus succedendi in Feudo. *Tit.* 9. de Feudo fœminæ. *Tit.* 10. de Natura successionis Feudi. *Libri III. Tit.* 50  
 11. de quibus rebus Feudum constitui potest. *Tit.* 12. quid juris habet in Feudo Vasallus. *Tit.* 13. de Alienatione Feudi. *Libri IV. Tit.* 14. 51  
 de Evictione Feudi. *Tit.* 15. de Feudi amissione & de

B

Feu-

- Feudo sine culpa amittendo, vel non. *Tit.* 16. quæ sint culpæ beneficii amittendi. *Tit.* 17. Si Vasallus Feudo privetur, ad quem deferatur. *Tit.* 18. qualiter dominus Feudo privetur. *Libro V. Tit.* 19. de Feudi cognitione. *Tit.* 20. de Judice competente. *Tit.* 21. de ordine feudalis judicii. *Tit.* 22. de probationibus, testibus & jurejurando. *Tit.* 23. de novis Friderici & Imperialibus Constitutionibus, & de pace tenenda. *Tit.* 24. de pacejuramento firmanda, servanda, tuenda ac vindicanda, & de poena judicibus apposita, qui eam vindicare & justitiã facere neglexerint. *Tit.* 25. de statutis & consuetudinibus contra libertatem Ecclesiæ editis. Prima hæc editio ita clauditur: Explicit decima collatio sex partita per me Antonium Mincuccium de Prato Veteri Legum Doctorem, dum legerem Bononiæ anno 1428. die primo Mensis Martii, & nunc correcta anno 31. die 8. Maji. Legantur Florentiæ de fero jura Civilia. In Codice, quem Friderico III. Imperatori obtulit, ulterius extant *Titulus* 26. de Capitulis extraordinariis alterius compilationis, continetque 29. capitula. *Titulus*, 27. de Feudis & beneficiis Constitutiones Imperiales, continens 26. capitula. Tandem post præfationem in operis initio positam legitur dedicatio ad Fridericum III. Imperatorem ab ipso Mericutio anno 1461. scripta.

CAP.

## CAP. QUINTUM:

*De quorundam Dd. testimoniis & iudiciis, utilitatem hujus collectionis concernentibus.*

**P**rolixè collectiones *Antonii de Prato veteri* commendantur à *Dn. Schihero* in præfatione eruditissima, laudati Auctoris editioni præmissa, ubi ex ejus Codice sequentia allegat, nempe epilogum, quem textui apposuit p. 326. *Explicit decima Collatio 58 sex partita per me Antonium Mincuccium de Prato Veteri, Legum Doct. dum legerem Bononiæ an. Dom. M CCCC XXVIII. die primo mensis Martii, & nunc correctæ an. XXXI. die VIII. Maji, Legentur Florentiæ de sero jura Civilia.* Item ex altero epilogo, quem 59 p. 316. glossæ subjunxit: *Explicit apparatus Jacobi Columbini super usibus Feudorum, translatus & redactus cum Rubricis debitis sine mutatione verborum, & effectus per me, Antonium Mincuccium de Prato Veteri, minimum legum Doctorem, legentem Florentiæ Jura civilia de sero. Completum die XXI. mensis 60 Augusti M CCCC XXXI. ad honorem Paduani studij, ubi legens à pluribus Scholaribus hortatus fui, ut hoc opus reducerem, &c. Scriptum mensis Aprilis M CCCCXLII. Inde ergo colligit, ipsum anno 1428. Bononiæ Jus docuisse, & textum Feudalem primo digessisse, una cum Glossa, ut ex præfatione ad 61 Bononienfes constat. Anno 1431 Florentiæ ipsum Jus docuisse, & ibi editionem correctam edidisse. 62 Postmodum Patavii leges interpretatum esse, & ibi*

- 12
- denuo revivam editionem procurasse anno 1442. qui  
 63 est annus secundus Friderici III. Imperatoris. Scilicet ordinatione sive auspiciis Sigismundi Imperatoris aggressus videtur Antonius hanc reformationem, quam postea Friderico Imperatori confirmandam obtulit. Antiquissimum hujus Auctoris  
 64 encomium suppeditat nobis Jason, in *Preludiis Feudorum*, quod non solum *Seysellius in speculo Feudorum*, sed etiã *Ericus Mauritius ex Rittersbusio, ac Schilterus* in præfatione citata repetit, cujus verba sunt:  
 65 *Etate nostra* *Jctus Dn. Antonius de Prato veteri D. Bononiensis, reformavit istum librum Feudorum, nullo addito ex priori compilatione, quam habemus, sed ordine variato, & scriptura multipliciter obtruncata, & redacta ad brevissimum compendium, quod dividit in septem partes principales, & facit VII. & XX. Rubricas, & ut ipse attestatur, librum suum destinavit Serenissimo præsenti Imperatori Friderico, & ab eo fuit approbatum,*  
 66 *& mandatum, ut in publicis studiis legeretur.* Alia testimonia, nempe *Johannis Cuspiniani*, *Confiliarii Maximiliani I. Imperatoris*, *Gregorii Haloandri* (aliàs *Hoffmann*) *Johannis Spigelii*, *Francisci Hottomanni*, *Goldasti*, *Conradi Rittersbusii*, *Hermannii Conringii*, *Joachimi Hagenmeyeri*, & *Ludwelli* quorum verba partim *Ericus Mauritius*, partim *D.*  
 67 *Schilterus loc. cit.* allegant, hic omittimus. Interim tamen omittere non possumus ea, quæ *Job. Rhetius*  
 68 *Commentar. in Jus Feud. Commun. præm. n. 13.* Non latet

latet quidem viros olim magni nominis in confesso habuisse, istos Mericutii libros a Friderico fuisse confirmatos: uti præ cæteris *Gregorius Haloander* in Epistola nuncupat. Novellar. & Feudor. ad Senatum Noribergensis Reipublicæ, verbis; *Quo patrum memoria ad preces Bononiensis Collegii confirmata fuerunt à Domino Friderico III. &c.* Et Goldastus in Præfat. Tom. I. St. Imper. verbis: *qui impediit, quominus Feudal. consuetudines à Friderico III. ad preces Bononiensis Collegii confirmata in Academiis locum invenirent, & Authentice facte fuerint.* Ac prorsus eodem loco sibi perſuadet, Maximilianum, si diutius rerum potius esset, easdem corpori Juris Cæsarei Romani inserturum fuisse. Sed dubio procul majorum Auctoritate innocenter fefellerunt. Bononiense Collegium idem opus Friderico III. exhibuisse, hætenus vestigia nulla apparent. Rogabat quidem operis Auctor, ut Sigismundo Imperatori exhiberet, sed vel id auctori non morem gessit, vel Imperator ejus petitis non annuit, secus Auctor ipse a Friderico III. demum confirmationem non desiderasset. Et si Mericutii desiderium confirmatio secuta esset, cur non statim vel non longe ab Imperatoris istius obitu tam salubre opus, multorum tum manus versans, ne quidem in Italia Academiæ vel fori trituras meruit. Item quæ *Johannes Nicolaus Hertius, Antecessor Giessensis in Præfatione ad Dissertat. & opuscula*, ac præcipuè in vita *Erici Mauritii*

- 75 ritii profert: *In supellectile ejus*, inquit, *libraria repertus Antonii Mericuttii de Feudis Codex*, sive, ut titulus fert, *Nova collectio Bononiensis, cujus unicum Manuscriptum, exemplum in membranis pulcherrime descriptum velut pretiosissimum Thesaurum in libris suis numerabat, quemq; toties ab eo docti, & præcipuè amici publico, ut donaret, expetebant, neque tamen, ut faceret, precibus ullis rationibusque potuit adduci, identidem obtendens, (ne amplius credo, urgeretur) Morbosio donatum, qui post mortem suam in lucem es-*
- 76 *set editurus.* Quemadmodum vero *D. Schilterus Antonii collectionem obtinuerit, ut in lucem edere potuerit, in præfatione allegata §. 13. his verbis exponit: At Mincuccius adhuc dum ineditus fuit: & quamvis a doctis multum desideratus, idque ex quorundam opinione frustra, quasi non amplius extaret, Tubingæ tamen antea laudato Erico Mauritio, cum jura ibi profiteretur, manuscriptus ac membranaceus, optime notæ, (ut ipse refert) ac inauratus ab Auditore quo-*
- 78 *tus fuit. Qui cum sese editurum, & commentariis illustraturū promisit: Interea de nomine illius monens, illud integrum neminem hæcenus edidisse: esse autem Antonium Mericuttium; ita enim in epistola ad Fridericum Imperatorem ipsum se appellare. Ab alio*
- 80 *adhuc corruptius Meriputius dictus. At vero cum possessor ille (nempe Mauritius) quantumvis à nobis rogatus, nec ederet, nec alio communicaret hunc Codicem,*



*cem, meliori fato factum fuit, ut Generosus Dn. de EY-*  
*BEN Consiliarius Serenissimi Ducis Luneburgensis.*  
*(hodie Serenissimo Principi nostro à Consiliis Sta-*  
*tûs) cum Parisiis versaretur, in Bibliotheca Regia in-*  
*ter MSS. Juridica num. 5115. in Fol. latitantem.*  
*Is cum de reperto hoc thesauro nobis hîc referret, non* 81  
*omisit illustris Obrechtus pro ea, qua est, de studiis bene*  
*merendi, enixa propensione, a Bibliothecario Regio*  
*Dno. Thevenotio B. M. copiam manuscripti impetrare,*  
*quam Vir. Clarissimus Dn. Johann Philippus Schmid-*  
*us Argentoratensis, Parisiis tunc studiorum, & omnis poli-*  
*litoris literaturæ gratia commorans, accurate omnino,*  
*& reitens literarum ductibus & anfractibus depin-*  
*xit potius, quam descripsit, nobisque transmisit. Ex quo* 82  
*ipso porro de nomine integro veritas luculentius,*  
*quam Ericus Mauritius putavit, patet, scilicet ipsum*  
*non Méricutium, sed Mincuccium appellatum fuisse. Si-* 83  
*cut & in eo fallitur, quod credidit, Unicum ejus exem-*  
*plar adhuc superesse. Laudatum Dn. Schilterum a-* 84  
*liquoties frustra communicationem hujus Codicis*  
*solicitasse, patet ex responsione Argentor. 1690. ad*  
*nos data, & quidem ad literas, quibus aliqua de Co-*  
*dice diu desiderato communicata fuerunt. Imprimis* 85  
*vero, inquit, quod notitiam aliquam absconditissimi the-*  
*sauri arcanive Mauritanii revelare mihi non dedigna-*  
*tus fuisti, idque ultro, quod antea nullis precibus a B.*  
*Mauritio exorare potui. Magnum benevolentia* 86  
*tua erga me argumentum, quam quovis officiorum* 87  
*gene-*

genere exofculari non omittam, quamdiu spiritus hos regit artus. Confirmatus inde fui in sententia mea, MS. Regium, quod secutus sum, antiquius esse Mauritianum, quod repetita quasi praelectionis Friderico consecratum; utinam capitula extraordinaria, & Constitutiones subjecta cum editis conferrentur, & observationes inde, unà cum dedicatione ad Fridericum ederentur.

- 88 Laudatum hunc Codicem possidet Dn. Ericus Hennings, quatuor Civitatum, nec non patriæ Reipublicæ, Kiliensis nimirum, Syndicus, qui illum ex beati sui avunculi hereditate nactus, & ejus inspectionem nobis concessit, unde notavi, dictum librum a Mag. Mullero de Rastett anno 1480. descriptum esse, & sic Friderico Imperatori, qui anno 1468. obiit, eundem offerri non potuisse. Deinde proculdubio sumtibus
- 89 Nobilis cujusdam Hannibalis Meersehweim exaratum, & propterea literam initialem C porculo insignitam fuisse, uti ex adjecto schemate videre est. Quare autem
- 90 reformatum hoc Jus feudale neque in scholis, neque in foro receptum sit, laudatus Jason allegato loco exponit, Ego
- 91 autem, inquit, considero, quod renovare presentem librum esset confundere Glossam utriusque Juris, quod utriusque censura Doctores, qui allegant istum librum, secundum formam & ordinem, quem habemus, & illum sequendum duxi, & noviter commentandum, non intendens aliud attingere, nisi quod sit materia feudorum.

## CAPUT SEXTUM.

De aliis nonnullis Auctoribus.

- 92 Circa tempora Antonii de Prato veteri floruit etiam Bononiæ Bartholomæus Baraterius, de quo Jason Mai-nus in prælud. Feudorum ita scribit: Consummatissimus utriusque censura Doctores Baraterius de Flaccintia, qui in Alma hac Uni-

ver.

*Veritate Ferrariensi utriusque Principis Ducalis Senator, multos annos in utroque Jure publice legit, & praesentem librum Feudalem aliter reformavit, & reduxit in brevissimum opusculum, donatum illustrissimo, felicitis recordationis, Principi Duci Philippo Mariae, & est in Bibliotheca Principis in arce castri Ticinensis collocatum.* Libellus iste Feudorum reformatus primum a *Nicolao Rigaltio* Lutetiae Parisiorum anno 1612. editus ex Bibliotheca Regia. Postea vero anno 1696. altera cura *Johannis Philippi Schmidii* Argentoratensis, cum Codice MS. ejusdem Regiae bibliothecae collatus; auctus, & plurimis locis emendatus, Argentorati editus est. Seculo XVI. floruit *Claudius Seyffellius* Sabaudienfis Jctus, *Ludovici XII.* Franciae Regis Consiliarius, ac legum in *Taurinensi* Academia interpres, speculum Feudorum incepit, & ad *Tit. Qua res in feudum dari possunt*, pervenit, sed a Rege *Ludovico XII.* in Galliam evocatus, ac publicis occupationibus praepeditus, perficere haut potuit. Cujus liber Basileae anno 1565. impressus est. Anno 1592. *Andreas Perneder* Consiliarius & Secretarius Ducis Bavariae, Compendium juris Feudalis ex libris Feudorum, Constitutionibus Imperialibus, variisque Dd. collegit, in ordinem redegit, & in Germanicam linguam transtulit. Denique *Antonius Dadinus Alteserra*, in Academia Tolosana Professor, de Origine & Statu feudorum, promoribus Galliae librum singularem Tolosae anno 1643. edidit, qui postea anno 1690. Argentorati denuo impressus est. Praeterea laudatus *Alteserra* de rebus Aquitanicis quinque libros anno 1648. it. de Lege Salica, ut & in Decretales Innocentii III. Pontificis commentarium Parisiis 1666. ac de Fictiionibus Juris Paris. 1659, aliosque multos tractatus elaboravit ac reliquit.

A Meridie hora II. in Auditorio Juridico pro-  
 C ducent-

Jucentur varii Auctores Feudales, & quidem I. Co-  
 dex Mericutianus, in membranis scriptus. II. Co-  
 dex Mincuccianus, Argentorati impressus. III. Anto-  
 nii de Prato veteri consilium Feudale. IV. Codex  
 Juris Feudalis Alemannici: V. Codex Juris Feuda-  
 lis Saxonici, uterque à Domino Schiltero cum no-  
 tis editus, VI. Baraterii libellus Feudorum reforma-  
 tus. VII. Jafonis Præluaia Feudorum. VIII. Antonii  
 Dadini Alteserræ libellus de Origine Feudorum. IX.  
 Claudii Seyfelli speculum feudorum. X. Andreae  
 Pernederi *Auszug und Anleitung der Lehnrechte &c.*  
 XI. Collatio & comparatio instituetur Codicum, tam  
 Mericutiani, quam Mincucciani, & inter alia demon-  
 strabitur probabiliter Mincuccianum oblatum fuisse  
 Regi Franciæ, Carolo VI. cujus ex fratre nepos Lu-  
 dovicus XII. postea Rex, tantus studiorum amator fuit,  
 ut aliquando aurata in toga, quinque Cardinali-  
 bus & centum proceribus subselliâ implentibus Ja-  
 sonem Juris Bononiensem in Auditorio profitem-  
 tem audiret, ut auctor est *Paulus Jovius in elogiis  
 virorum literis illustrium sub Icone Jafonis*, citante  
*Georgio Franckio libr. I. resol. 16. n. 86.*

COROL-

## COROLLARIA RESPONDENTIS.

## I.

Vasallo in re feudali non naturalis tantum, sed etiam civilis possessio competit.

## II.

Consuetudo in Eiderostadia aliisque locis vigens, qua Fiscus bona naufragorum fluctibus appulsa pro parte occupat, pro rationabili habendam esse autumo,

## III.

Nec Ministri Ecclesiæ Deum publice ex fugestu pro benedictione hujus juris implorantes contra conscientiam ac, caritatem peccare videntur.

## IV.

Studium Matheseos in vita Civili, & ad solidiorem Jurisprudentiæ cognitionem perquam est utile.

## V.

Furibus non injustè poena capitalis infligitur, licet contrarium statuant nonnulli ex Theologis & JCtis Reformatis.

## VI.

Matrimonium cum virgine deflorata initum non est ipso jure nullum.

## VII.

Politicum debere carere religione, pudore & uxore non est absurdum.

## VIII.

Fictiones Juris non adversantur religioni, id quod forsitan alio tempore prolixius demonstrabitur.

## IX, In-

IX.

Incestus ac Polygamia meris rationibus naturalibus impugnari posse non videntur, prohibentur vero Jure divino positivo universalis, Gen. 2. & Levit. 18. & aliis legibus civilibus.

X.

Populus ad Majestatem in Principem transferendam sæpissime immediate concurrit, DEUS tantum mediate.

XI.

Utrum poena homicidii capitalis sit naturalis, an vero mere positiva, disceptatur? Ego magis in priorem sententiam inclino.

XII.

Usucapio non est figmentum solius juris Romani, quicquid etiam ogganniant Galli & præsertim Aubery, quem egregie refutavit *Excellentissimus noster Dn. N. Martini in erudito libello de Libert. Aquil. triumph.*

XIII.

Tribonianus noster originem SCtorum, aucto civium numero assignans, videtur soloecismum Politicum committere.




ULB Halle  
003 742 709


3



TA → OL <sup>f</sup>  
nur 1+21 Stück rechnung pff







*Not. Scriptur. n. 10*  
*1704, 3*  
*8*

DISPUTATIO JURIDICA,  
*Quam*  
In Alma, CHRISTIAN-ALBERTINA,  
*Juxta ordinem*  
In Principali FRIDERICIANA  
*Constitutione praescriptum,*  
DE

# FEUDORVM

*Origine & Libris,*

*Imprimis de*

CODICE MERICUTIANO,

*Sub Praesidio*

SAMUELIS REYHERI, JC.

Codicis & Mathem. Prof. Ordin.

*publicè defendet*

PETRUS MUMMENS,

Eidorostad, Juris Stud.

*die Novembr. cl. 1704.*

In Auditorio Majori.

---

KILIÆ,

*Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.*